

41. – 806. Papa Leone III all'imperatore Carlo Magno.

FONTE: Bibl. Guelferbit., 287, cod. Helmestadii, 254, (sec. IX):
Leonis III epistolae, c. 7.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, V, 94 sg.

Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus, servus servorum Dei.

Dum vestrae imperiales syllabae de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quae et a nobis susceptae ac relectae fuissent, repperimus in eis, quatenus a Gradense insula, ubi Fortunatus archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Graecorum seu Veneticorum exsul esse dinoscitur, et, si congrue nobis apparuisset, pro causa necessitatis in Pola, ubi iam-dudum Emilianus quidam episcopus praefuit, quae et diocesis praedicti Fortunati archiepiscopi exsistit, illic suam sedem haberet; et qualiter vestra a Deo protecta imperialis potentia sine consultu apostolatus nostri nequaquam eum aliubi conlocare voluit.

Nos vero de hac re pertractantes praevidimus, ut, secundum qualiter vestrae imperiali clementiae complacuit, ut in Polana ecclesia persisteret, ita maneat, sub eo prorsus tenore, ut si, domino annuente et beato Petro apostolo protegente, per vestram in triumphis victoriaram ipsa sua sedis illi restituta fuerit, secundum qualiter praedicta Polana ecclesia integra cum omnia sibi pertinientia suscepit, sic iterum ea restituatur, et non de rebus eius aut pecunia ad suam debeat subtrahere sedem, sed neque cuiquam ex ipsis rebus seu pecuniis atque speciebus dare quoque modo praesumat, ut ipsa ecclesia semper inrefragabiliter cum suo antistite salva existere possit.

Reservatur siquidem in ipsis vestris imperialibus apicibus, quomodo in Aquis palatio nobiscum praevidistis, de Aquileiense ecclesia, velut una, quae suam sedem haberet. Credat enim nobis vestra clementia, eo quod, quicquid ibidem una vobiscum vel cum fratribus et coe-